

Huiusmodi fuerunt etiam Tarentini, qui ausi sunt se interponere inter Samnites et Romanos, ut pacem inter utrumque populum conservarent. Nam quum oppugnaret Samnites magno exercitu Populus Romanus, misere Tarentini legatos ad consulem, qui Senatus Tarentini nomine indicarent, Tarentinos velle pacem haberi inter Samnitium et Romanum Populum, et arma adversos illos sumptuos, qui primus pacem violasset. Sed ad ea consul re potius, quam verbis respondens, iussit clas sicum sonare, ut et praesentibus legatis praelium iniiretur, et ostenderetur quo loco habenda essent Tarentinorum postulata.

## HEROSTRATUS

Sunt laureolam qui laudis et fastigia  
Non bene gestis, sed dente quaerant invido.  
Tricator quidam, cui fors denegaverat  
Omnes mentis facultates et corporis,  
Pungebant illum sed laudis cupidines,  
Quod non posset virtute alias devincere  
Se omnes maiores suebat dente carpere  
Et omni abuti contra illos calumnia  
Ut inter nequam videretur perbonus  
Et inter nanos unus pareret gigas  
Et laudaretur casci Herostrati aemulus.  
Amicus huic: « Facis quae in damnum, auritule,  
Comitum, niger vel fausto vitande omne,  
Ea si fecisses in iuvamen iugiter,  
Iam factus essem omnibus miraculum ».

## GLADIATOR NUGIVENDUS

Hominem interdum urget tantum calcar gloriae  
Exiguam ut mentem demat impudentia.  
Frequenti in ludo, ceteris stupentibus,  
Lanista quidam, vilis Martis assecla,  
Doctor armorum se asserebat optimum:  
Iam multos Orco demisisse milites  
Regnum silentum et implevisse civibus:  
Gaudere alienam pingere ictibus cutem  
Nec usquam quaequam formidare vulnera;  
Concursum caeli et ipsa Patris fulgura  
Spernere tutum et nunc provocare in proelia  
Comitum quemvis augeret ut victorias.  
Adstantium unus tunc: « Cave, sis, trifurcifer,  
Adsum quem queris » et dicto ocyor petit

Ferro iactantem: enses ut fulmina emicant  
Et parmae crebro percrepant sub vulnere.  
At palmifer mox vix irata ait voce:  
« Si motaris, nec te stantem praebes scopum,  
Insulse, qui meo vis ense transfodi? ».

M. GINOTTA.

## Pro iudicibus mensarum elegantibus

## ESCARUM ORDO:

Globuli ex subacta solanorum tuberoso-  
rum farina.

Fricta et varia obsonia Subalpinorum  
more.

Dentex elixus, ovorum salsa mento con-  
ditus.

Bos ad furnum actus, olivis saeptus.  
Gelida sorbitio ex persicis.

## locosa

## TUCCIUS in schola.

MAGISTER Tuccio: — Unde Franci ori-  
ginem habuere?

TUCCIUS: — Profecto a centesimis!

MAGISTER: — Quibus in montibus mar-  
garitae adamantinae maxime reperiatur  
datur?

TUCCIUS: — In montibus pietatis et de-  
positorum.

## Aenigmata

## I

Vox eadem maneo : mox inter moenia pulso,  
mox ovium videor praevius ire gregi.

## II

Impigris apibus fingor. Sed si mihi mutas  
principium, cieor cum movet ira iecur.

FR. PALATA.


Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Humus, Fumus;*  
2) *Stamen.*

## IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





Ann. XXVI

Romae, mense Iulio MCMXXXIX

Fasc. VII

# MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

*(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).*

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticana*, Città del Vaticano

## MONITA

Ut iamdiu assuevimus, fasciculi mensis Augusti et Septembris in unum colligentur, qui primis Septembris mensis prodibit.

Quum autem plures socii sint, qui nondum pretium annuae consociationis solverint, eos enixe rogamus quo citius velint moras interrumpere.

Neve quis ex exteris gentibus difficultatem mittendi pecuniam in excusationem adducat. Pluribus enim ex civitatibus, ut ex Americis, synraphae ad nos pervenient libere apud nummarias mensas exigendae; aliunde, ut ex Hollandia, Dania, Belgica, Helvetia, nummariae diribitoriae chartulae; pro variis regionibus novam Germaniam efformantibus viget «Institutum permutationum cum exteris gentibus», per quod consociationum pretium non semel nobis hoc anno solutum est. Denique sunt Romae universi orbis collegia, quae pariter ex civium suorum mandato nobis illorum debitum satisfecerunt.

Est igitur hīc etiam cum perantiquo adagio concludendum: *Volenti nihil difficile!*

A. R.

## DE IAPONIORUM POËSI

Si quid suave et blandum, si quid lene, gratum et iucundum ad molliendos animos et flectendos valet, id profecto esse reor dulcia otia musarum, et melica verba. Ego autem, ex quo, iuvenis admodum, Petri Loti, Gallici scriptoris, quo paucos elegantiore aut exquisitiore et animo et calamo pollere sentio, fabellam Iaponiorum enarrantem mores perlegi, cui puella a chrysanthemo vocata nomen dedit illustre, statim insolitam omnis poëseos vim ex tantis naturalis pulcritudinis splendoribus erumpere, propriumque carminum flamen ex mari, ex viridis montibus, ex floribus, exque silvis ultimae illius regionis spirare iucunde coniectavi. Enimvero, quum sive urbana, sive rustica multitudo pulcherrimis rerum aspectibus percelli se usque senserit, atque ad blandos erigi sensus, simul bonas artes omnes, tum architecturæ, non in templorum tantum molibus, sed in domuum et casarum destructione, tum picturae quibus parietes et utensilia domestica sedulo exornantur, tum musices denique ac poëseos excoluit. Dilexit itaque semper populus artifices, maxime poëtas, et non secus ac sacerdo-

tes suos, et magistros et philosophos, ex ultima antiquitate est veneratus. Enarrabat sane Gallus scriptor alta inter noctis silentia frequentissimum undique, non tantum inter urbanas ferias, sed etiam inter montanas solitudines, chelyon fidiumque sonitum exaudiri et hominum vel mulierum voces una concinentes cantiunculas, moesto plerumque rhythmo atque leni modo aptatas.

Apud Iaponios enim, uti est nativa carminum indoles, neque poësis a musicis, neque musicis a poësi seiungitur, quae non modo antiquissima et vulgatissima per omnes imperii insulas est, sed quamdam veluti moralem philosophiam semper olet, sententiarumque sapientiam, fulgidis abundantiam versibus, nitentibus imaginibus plenumque tradit. Effluit id, puta, ex singulari illa vivendi ratione, qua ex ultima antiquitate semper deinde poëtae usi sunt. Qui, non aliter ac brahamini sapientes, anachoretae more, ut plurimum, in montium solitudine sese recipiebant. Locum enim quum selegissent apricum satis atque amoenum, unde et silvarum et aquarum et agrorum pateret lectissima visio, casam sibi ex arborum ramis, vel ex tabulis — lignae enim plerumque domus incolarum — sibi suis manibus instruebant, congettisque secum, non modo graminibus et frugibus, quae ad vivendum media suppeditarent, sed et magno papyri onere, singula quae circumstabant contemplabantur. Tunc florum colores, avium volatus, solis ortum atque occasum, siderum lunaeque fulgorem, hiemis nivales procellas, veris laetissimas pompas, omnia singularis foliis, qua meliori arte versus effingendi callerent, reddebant et reddunt, contendentes saepe ut aliquod ad vitam ducentam aptum documentum vel monimentum sub versuum specie elegantissime enucleent.

Europaeis autem vel Americanis lectribus, quorum omnium universae litterae

iuxta Graecorum aut Latinorum exempla tot a saeculis constanter effluxerunt et projectae sunt, insolitus sane, inusitatusque scribendi modus, loquendi forma inaudita, carminis motus, similitudines atque imagines barbaro fucata colore profecto videantur. Et sane aliquantulum ea carmina in illa inclinare crediderim, quibus decimoctavo vertente saeculo Gongora Hispanus, Marinus Italus funesto exemplo scribendi omnem artem perverterunt, vel quae hodie, qui incidentes, vel declinantes, aui symbolistae nuncupantur, inani prorsus, etsi lectissima dicendi forma, inutiliter saepe, saepe etiam nocentissime effingunt. Nam imperatoris, puta, effatum, non ab eius nomine commemorant, sed tamquam «leonis» vel «draconis» verbum; Iaponiam regionem «florentem cerasum» vocant; mulieris vultum cum lectissimo flore comparant, eiusque fluctuantes gressus cum salicibus, quae flante zephyro fremunt: «Si quis petierit Yamato (id est Iaponiae) adspectum, respondite», — ita Motoori Norinaga, poëta vulgatissimus, scribit, — «cerasus est montanus, pulcherrimus, qui sub sole fulgido odores suavissimos spargit».

His formulis atque imaginibus Iaponiorum poësis a bis mille et quingentis viget annis; memoriae immo et traditiones fabulosae primaevae aetatis, quum Iaponiam dii incolerent, auctorem carminis primi recinunt canem fuisse, qui στρωφήν ex una et triginta syllabis optime digestis descripsit, cuius primus versus et tertius, quinque; secundus, quartus et quintus septem syllabas habent; στρωφήν huiusmodi *outa* vocant, eiusque semper ad formam, hodiernis quoque diebus, carmina effinguntur. Id carmen adeo acceptum populo et vulgatum est, ut ipse imperator et optimates, pariterque plebs urbium et agrorum in illud effingendum incubuerint et incumbant; saepe immo apud honestioris ordinis cives dies et vesperae in parvis illis

strophiis condendis ducantur, quarum summa brevitas summam difficultatem constituit. *Tanzaku* chartae frustulum vocant, quo plerumque suum quisque carmen describit, cuius triginta vix syllabis sensus omnes et animi motus exprimere vates cogit.

Est quidem *outa* illa tum amoris efficax epistola, tum deprecationis praepotens formula, qua et imminens ipsius hostis gladius saepe retardatur, et vel deorum irae placantur, vel libertas et divitiae parantur. Poëseos enim amore fervidissimo incensus saepe Iaponius vates, artem, munus, officium negligit, in egestatem saepe ruit, at ditioribus semper sociis musarum devotis iuvatur et alitur: legendi aut scribendi nunquam intermissus labor multos oculorum acie, multos etiam recto rationis lumine orbavit.

Id Huawa Kenghiò inter ceteros contingisse dicunt. Qui tamen, lumine captus, solus iter facere coepit, carminum suavitatem ubique occurrentibus effundens. Inerrat in eo tanta pulclarum rerum memoria, ut passim deos precaretur, ut sibi oculos redderent ad eas rursus percipiendas: amici quum advenissent dum blanda luna iminet, eumque fervide orarent ut de Diana conderet versus: — Atqui — ille lacrimans reddidit — ecce lunam suavissimam videre nequeo? Oh utinam flos illa fiat quem blandire digitis possim, ut odore suavissimo animam reficiam! — Quae sensus suavitas deos tandem ipsos vati adversos flectere ac vincere potuit! Narrat enim Iaponia plebs quodam vespere ad Alaski templum, pulcritudine eximia celebrissimum, Huawa Kenghiò pervenisse, omnem inibi noctem perduxisse, deumque *Kami* poëmate notissimo rogasse ne pulcritudinis adspectum ultra denegaret, et mane sequenti inopinato oculos eius apertos iterum fuisse ac locum amoenissimum undique conspexisse.

Nec minus potuit Takarai-Kikaku poë-

tae, quem veluti sanctum Iaponii habent, oratio. Annua iam siccitate agri laborabant, arescebant sulci et glebae, fames horrida agricolis squalentibus imminebat. Poëtae per agros aridos iter facienti, rustici orantes occurrunt ac supplicant ut *outa* carmine deos deprecaretur. Quum itaque ille diu meditatus versus fuisset, ac descripsisset, nexit manibus recitavit: nec longum temporis momentum effluxit, quum statim nigrat caelum, congeruntur nubes, tonitrua strepunt, pluviaque foecunda tandem decidit.

Hodiernis diebus idem semper est huius generis carmini honos, sed verba et versus expoliore semper stilo curantur: vis enim carminis pulcre effecti eo maior et hodie habetur, quo plurima in versibus nitent. Quid si *outa* carmina a callido ac perito poëta ad ea enarranda et canenda inducta fuerint, quae religio nostra in sacris libris, in Evangelii, in sanctorum historiis pulcherrime praebet?... Nonne inde sperandum foret ut audientium aut legentium animi, divinis documentis ita imbuti, ad christianam credendi et vivendi rationem suavius et planius pariter inducantur?

Fiat!

I. ANTONELLI.

## HISTORICAE NOTAE

### De priscis Romanorum magistratibus<sup>1</sup>

Antiquissimum sacerdotum collegium efformarunt *Augures*; siquidem traditio refert Pontifices institutos fuisse a Numa, Augures iam cum urbe ipsa fuisse, quippe Romulus eorum officio usus sit ad auspicia sumenda. Augures igitur, qui ineunte Republica eodem gradu ac Pontifices censebantur, antea superiores profecto fuerunt; postea vero eisdem sensim concessere; at

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

principio maximo pollebant honore, si vere Asta Navius augur obstitit ipsi Tarquinio Prisco cupienti contra Auguris placitum ordinem equitatus nonnihil immutare.

Augures communes Romanis fuere cum Sabinis, Etruscis ceterisque pristinis populis: avium cultum curare ex eorumque volatu deorum internoscere voluntatem concreditum iis erat. Nihil publice suscipiebatur nisi «aves admisissent», vel «adixissent»; id est nisi «auspicato», sine auspiciis negotium suscipiebatur nullum quod reipublicae interesset; imo et in vita privata augures privati quamplurimum valuerent. Maximum autem et praestantissimum in republica ius est Augurum cum auctoritate coniunctum<sup>2</sup>. Merito igitur dictum est ius publicum Romanorum auctoritate atque opera Augurum maxime efformatum, evolutum esse; ius vero privatum opera praesertim auctoritateque Pontificum.

Augures primo tres fuere, deinde (anno CCC) novem, quindecim sub Sulla, sexdecim sub Caesare. Cum Auguribus confundendi non sunt Aruspices: hi sacerdotes vere non sunt neque collegium efformant publicum; sunt veluti divinatores, quorum opera interdum aut duces aut privati utuntur, quos tamen saepius Romani contemnunt.

\*\*\*

Sed ad alios sacros magistratus deveniamus.

*Flamines* ii dicti sunt qui «flamمام sacram excutiebant, alebant»; tres initio fuere: Iovis, Martis et Quirini, indeque *Flamen Dialis*, *Flamen Martialis*, *Flamen Quirinalis*: aram sui quisque dei custodiebant; extra templum detecto capite prodire, sine «apice», quod insigne erat huius sacerdotii, non licebat.

Principem locum obtinuit *Flamen Dialis*, qui sella curuli utebatur, dignitateque vix infra regem erat. Praeter hos, anti-

quissimi etiam fuere *Flamines Palatalis*, *Volcanalis*, *Volturnalis*, *Carmentalis*.

*Salii* duodecim ancilia sacra custodiebant, et quotannis, mense martio, «saliebant» (saltabant) in honorem Martis.

*Arvales fratres*, duodecim pariter numero, agris cultis, seu «arvis custodientis» eligebantur.

*Fetiales* viginti, vitalicii, e nobilissimis familiis selecti, iuri internationali praerant, bellis indicendis, componendis, foederibus iungendis. Quum non essent Romanorum proprii, sed communes etiam Albanis, Laurentinis, Faliscis, Ardeatibus, Samnitibus, tenendum est non a regibus Etruscis inductos fuisse, sed antea extitisse. Si quid quererentur Romani adversus populum quemdam, *Facialis* mittebatur, cui nomen «*Facialis Pater Patratus*». Hic querelam illi populo enuntiabat, bellumque minitabatur ni intra certos statos dies satisfacerent; triginta diebus sine satisfactione iam exactis, *Pater Patratus* redibat, deos obtestabatur ad fines illius populi, Romanum revertebatur; tum bellum a Senatu populoque decernebatur; deinde *Facialis* rursus ad fines hostilis populi progressus, pilum igne sanguineque rubentem coniiciebat. Serius vero ritus in Campo Martio celebrabatur, telumque sanguine tinctum proiiciebatur in columnam, in qua fines hostilis populi indicabantur. In foederibus autem componendis *Facialis* siliceo cultro mactabat victimam; unde «foedus, pactum ferire» dictum est.

*Vestales* iam ab antiquissimis temporibus in sacerdotiis sunt; primum quattuor: binae Romuleae, binae Sabinae, Tatientes; deinde sex quum accesserunt Luceres. A rege, quo summo pontifice, deligebantur inter nobilissimas virgines patricias, non ante sextum, neque ultra decimum aetatis annum. Ignem Vestae noctuque dieque ardentem custodiebant, «vivamflammam, quae semina nulla remittit, nec capit».<sup>3</sup>

<sup>3</sup> R. Fast. vi, 291-294.

quippe virginitati vovebantur. Praeterea «*Fascinum*» (deum maleficia procul arcentem) custodiebant, et reliquias «*fatiale pignus imperii*» in secretissima sanctuarri parte, quo una «*Maxima Virgo*» penetrare poterat. Hae reliquiae erant «*Palladium*», signum Palladis parvulum et informe, atque idola minuscula, quae tradebantur ab Aenea illuc allata. Post triginta huius sacerdotii annos *Vestales* e collegio ad liberam poterant redire vitam; quod tamen fieri non solebat. *Vestalis* non subest patriae potestati aut manui; libera est; legata accipere potest, testamentoque de bonis suis disponere; coram tribunali non iurata testatur. Coram *Vestali* lictores fasces demittunt, et si quis capite damnatus, quum ad supplicium duceretur, fortuito *Vestali* occurseret, poena liberabatur. Sed vae *Vestali*, quae vota violasset! Ad «campum sceleratum», in extremo Quirinali, prope portam Collinam ducebatur; in cubile, quod tunc sub tellure effossum erat, viva obtrudebatur; solum deinde aquabatur, ut ne vestigia quidem dignosci nec miserae gemitus audiri possent, ibique relinquebatur!

\*\*\*

Pauca denique de ministris regis militibus, deque regis ministris in iudicibus.

Ministri regis militares sunt *Tribuni*; *Tribuni* militum praesunt copiis singularem tribuum; tribunus aut *Tribuni* celerum praesunt equitibus; probabilius tamen equites pristinis equitibus utebantur non ut pugnarent, sed quo se facilis loco moverent; pristinos enim Romanos utrum equis pugnarent in incerto admodum est. *Tribunus* celerum, uti rex, in republica nonnisi religiosum et sacerdotiale munus retinet.

Pro diverso criminum genere in iudiciis regis administri sunt *Duoviri perduellionis* et *Quaestores parricidii*. His, uti parerat, nonnisi in iudiciis criminalibus adhi-

bebantur, et pro perduellionis aut parricidii crimine; qua tamen forma quibusque finibus continerentur non novimus.

Haec de primo civitatis elemento, seu de rege; alterum, sive senatum ad proximum numerum delegamus.

SYLVIUS ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De quibusdam casibus

a) Substantiva abstracta nequeunt esse nominativi verborum, quibus actio aut affectus exprimitur, nisi tamen rei animatae naturam quodammodo induunt aut usus est contrarius.

EXEMPLA: *Virtus* nunquam *ulla vi labefactari* potest (CIC.) — *Ipsa eius adventu* impetus hostium *repressi sunt* (CIC.) — *Truditur dies die* (HOR.) — *Admiror eum qui non pecunia movetur* (CIC.) — *Ex litterarum studio magnam accipimus voluptatem* (CIC.) — *Fides nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corruptitur proemio* (SEN.) — Omnes homines inter se *natura confusi, pravitate dissentunt* (CIC.) — *Hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit* (TER., Andr., I, 1). — *Avaritia omnes homines caecos reddit* (CIC.) — *Natura corpus, ut quamdam vestem, animo circumdedit* (SEN.) — *Nunquam super industriam fortuna fuit* (SALL., Iug., 95) — *Natura oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit* (CIC., Nat. deor., II, 57) — *Lex recte facere iubet, vetat delinquere* — Haec omnis *quae est* (= agit) de vita et moribus philosophia (CIC., Tusc., III, 4, 8) — *Animi tranquillitas et securitas affert cum constantiam tum etiam dignitatem* (CIC.) — *Sua cupiditate, non*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

*utilitate communi impellitur* (CIC., Off., I, 19, 63) — Stultissimum est in luctu capillum sibi evellere, quasi *calvitio* maior *levetur* (CIC., Tusc., III, 26).

b) Instrumentum vivum effertur accusativo cum praepositione « *per* ».

EXEMPLA: Pompeius haec providerat et superioribus diebus frumentum omne conquisitum *per equites comportarat* (CAES.) — Nemo est qui nesciat, quominus discessio fieret *per adversarios tuos esse factum* (CIC., Fam., I, 4) — Ea res *per fugitivos hostibus nuntiatur* (CAES., Bel. gal., I, 23) — Darius cuncta quae *per duces suos acterant* damnabat, ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam (Q. CURT.) — Plura possim proferre detrimenta publicis rebus quam adiumenta *per eloquentissimos homines importata* (CIC.) — Multa victori eorum arbitrio *per quos vicit*, etiam invito, facienda sunt (CIC., Fam., IV, 9) — Exspectassem, si *esset licitum per nautas* (CIC., Fam., XIV, 3) — Si *per L. Lucullum licuisset*, iudices, matres illorum misererorum sororesque veniebant (CIC.) — Oratio principis *per quaestorem eius audita* est (TAC., Agr., 16, 27).

c) Quandoque Latini substantivum substantivo praepositionis ope subiiciunt.

EXEMPLA: *In eum locum aditus erat nemini* (CIC., Suppl., XII, 30) — *Inter quaesturam et tribunatum annum* (TAC., Agr., VI) — *Ex legato timor* (TAC., Agr., XVI) — *In arto pugnam* (TAC., Agr., XXXVI) — *Ab Othono epistulae* (TAC., Hist., I, 74) — Praeposuerat praetorianis *Sabinum a praefectura cohortis* (TAC., Hist., II, 92) — Tua erga me voluntas et studium (CIC.) — Mea in te benevolentia — *Adiutores in proeliis victoriae populi Romani* (CIC.) — Ibi est *ex aere simulacrum ipsius Herculis* (CIC., Sign., 94) — Signum aut revocationem a bello audire non possumus (CIC., Philip., XIII, 7) — *Reditus in patriam* — Ille apud Attium pastor (CIC., Nat. deor.,

II, 35) — Hinc tumor et vana de se *persuasio* (QUINT., II, 2) — *Negotiator ex Africa* (CIC.) — Summi ex Graecia homines (CIC.) — *Iunius ex Hispania* quidam (CAES.) — Ille de populo iudex (CIC.) — Hoc nescio quid honoris a Senatu (CIC., Fam., XV, 4, 13) — Cuius benevolentia in populum Romanum est ipsius aequalis aetati (CIC., Phil., XI, 13, 33) — Tua illa praeclara in rem publicam merita (CIC., Ep., XI, 12, 1) — Undique ad inferos tantumdem viae est (CIC., Tusc., I, 43) — Nihil est tam miserabile quam *ex beato miser* (CIC., Part. orat., XVI) — Confragosa in fastigium dignitatis via est (SEN., Ep., CI, 1) — Xerxis introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis ac foedus discessus fuit (IUST.) — Misericordia est *aegritudo ex miseria alterius iniuria laborantis* (CIC.) — Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio (CIC.).

### De Indefinitis<sup>2</sup>

a) « *Aliquis* » sensum habet omnino indefinitum; « *quidam* » designat certam personam aut rem quam accuratius designare nolumus.

EXEMPLA: Habenti *cuidam* pecora pepererunt oves agnos humano capite (PHAEADR.) — Puerorum in turba *quidam* ludentem Atticus Aesopum nucibus vidit (PHAEADR.) — Nuper me *cuiusdam* amici languor admonuit optimos esse nos, quem infirmi sumus (PI.) — Dixerat *aliquis* leniorem sententiam (CIC.) — Ego quoque *aliquid sum* (CIC.) — Est in Laconia *quoddam* genus hominum quod Helotes vocatur; quorum magna multitudo agros Lacedemoniorum colit servorumque munere fungitur (CORN. NEP.) — Nemo unquam fuit vir bonus sine adflatu *aliquo* divino (CIC.) — Si vis beatus esse, si fide bona vir bonus, sine contemnat te *aliquis* (SEN., Ep., 71).

<sup>2</sup> Cfr. ALMA ROMA 1938, fasc. 7, pag. 112.

b) « *Quidam* » saepe aut lenit aut auget vim dictionis. Ei tunc adiungi possunt « *quasi* », « *tanquam* », etc. « *Quasi* » solum usurpare licet, aut « *tanquam* », « *ut ita dicam* », « *paene* ».<sup>3</sup>

EXEMPLA: Est *quodam* incredibili robore (CIC.) — Nationes multae atque magna novo *quodam* terrore ac metu concitabantur (CIC.) — Te natura excelsum *quemdam* genuit (CIC.) — Labor volutasque, dissimilia natura, societate *quadam* naturali iuncta sunt (TIT. LIV.) — Inest mentibus nostris insatiabilis *quaedam* cupiditas veri videndi (CIC.) — Caesar splendidam *quamdam* rationem dicendi tenet (CIC.) — Animal hoc providum, acutum, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara *quadam* conditione generatum est a supremo Deo (CIC.) — Est ardelionum *quaedam* Romae natio (PHAEADR.) — Existunt saepe iniuriae calumnia *quadam* et nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione (CIC.) — Sed nescio quomodo inhaeret in mentibus *quasi* saeculorum *quoddam* augurium futurorum (CIC.) — Ennius sanctos appellat poëtas quod *quasi* deorum aliquo dono commendati nobis esse videantur (CIC.) — Platonem *quasi quemdam* deum philosophorum (CIC., Nat. deor., II, 12, 32) — *Quoddam* *quasi* regnum obtainere (CAES., Bel. gal., I, 3) — Humilem sane relinquunt et minime *generosum*, *ut ita dicam*, ortum amicitia (CIC.).

c) « *Ceteri* » oppositionem significat; « *reliqui* » residuum aliquod.

EXEMPLA: Honestas omni pondere gravior habenda est quam *reliqua* omnia (CIC.) — Hoc mortuo, si qui ex *reliquis* excellit, succedit (CAES.) — Legatos Remi miserunt qui dicerent *reliquos* omnes Belgas in armis esse Germanosque sese cum his coniunxisse (CAES.) — Socrates apud Platonem hoc Periclem *ceteris* praestitisse

<sup>3</sup> Dici etiam potest *quodam modo*; v. g. Forma etiam magnifica et generosa *quodam modo* (CIC.)

oratoribus dicit, quod is Anaxagorae fuerit auditor (CIC.) — Quae volumus, ea credimus libenter, quae sentimus ipsi, *reliquos* sentire speramus (CIC.) — Helvetii reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere quotidianis proeliis cum Germanis contendunt (CAES.) — Ridiculi sunt qui, quod ipsi experti non sunt, id docent *ceteros* (CIC.) — Recitaverat quidam verissimum librum, partemque eius in alium diem reservaverat. Ecce amici illius cuiusdam orantes obsecrantesque ne *reliqua* recitaret: tantus audiendi quae fecerint pudor, quibus nullus faciendi quae audire erubescunt! Et ille quidem praestitit quod rogabatur: sinebat fides (PI., 9, 27) — Ali quando isti principes et sibi et *ceteris* populi Romani auctoritati parendum esse fanteantur (CIC., Man., 22) — Non Tiburium mitigabant tempus, preces, satietas, quae *ceteros* mollire solent (TAC., Ann., VI, 38) — Ver ostendit fructus futuros, *reliqua* tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt (CIC.).

d) « *Uterque* » semper est singularis numeri, nisi ex utraque parte plures sunt aut adnectitur substantivis, quae semper plura sunt.

EXEMPLA: Eodem modo de Aristotele et Isocrate sentio, quorum *uterque* contemptis alterum (CIC.) — *Utrique* alteris freti finitimos armis sub imperium suum coegeri, nomen gloriamque sibi addidere (SALL.) — *Utrosque* et laudis cupiditas et timor ignominiae ad virtutem excitabat (CAES.) — Pugnatum est ab *utrisque* acriter (CAES.) — Scribæ locum tenuit Eu menes apud Philippum annos septem; illo imperfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. *Utrique* autem in consilio semper adfuit (CORN. NEP.) — In novo genere belli novae ab *utrisque* bellandi rationes reperiebantur (CAES.) — Non possum *utrisque* vestrum errorem reticere (CIC.) — *Uterque* me intuebatur, seseque ad audiendum significabant para-

tos (Cic.) — *Utraeque nationes Rheno praetexuntur* (TAC., *Germ.* 34) — Alteratio orta est inter eos de loco quem *utriusque* in acie tenerent (TIT. LIV.).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

## MONTIS-CASINI COENOBIUM

Tanta huius loci fama est apud omnes, qui litteras et artes colunt, ut instituentes de ipso facere mentionem non praebere dignitati et nomini eius obsequium, sed quasi debitum solvere arbitremur. At in hac re tales haberi volumus, quales qui exiguum darent assem talenta debentes. Quidquid enim Italiae, Europae, universo denique Orbi terrarum a prisca maiorum sapientia reliquum est, quod lucet adhuc, omne prope ab hoc asceterio et servatum fuit, et novum postea quodammodo suscepit ortum et nactus est incrementum. Quanta autem in ipso et ab ipso lux emicuerit et coruscaverit profecto poteris intelligere, si animadverteris toties depopulatum, expilatum, nunquam omnibus fuisse prorsus orbatum divitiis; toties extinctum, suapte semper iterum refusisse; toties oppressum, sua rursus vi semper emersisse gloriosum.

Exstans olim et splendore suo et mole omnium gentium a servo ad Caesares in se oculos et ora convertit; dirutum, nomine magno, magis quam si esset integrum, a ruinis et exterminiis impositis se vindicavit; resurgens, iterum tot in se Musarum congregavit opes, ut vigeat vireatque adhuc aeternum iuventa. Quoniam ergo nomine digne appellabimus locum, quem nec barbari sternunt, nec saecula labefactant, nec inimici possunt destruere, nec insidiatores opprimere, nec detrahentes minuere, nec invidentes exterminare, nec exhaustire praedones et redigere in pau-

pertatem? Nomen, qui volunt, exquirant, ut, prouti compar est, nuncupentur; nos interea aliquid de historia eius summo haustu vel ab exordio attingemus.

\*\*\*

Traditur a M. Tullio Enni poëtae sententia, qua monemur fuisse olim in Italia vetustissimum genus hominum, qui Casci appellarentur. Civitas haec, giganteis viribus potens, oppida sua moenibus vallabat enormibus, illa adstruens ingentibus molibus, saxis immanibus, contra quae circiter quadraginta et ultra saecula frustra irruperunt. Caput gentis et princeps urbs Cascinum, seu Casinum fuit, quam sibi pariter Volsci et Campani asserebant. Iuxta Latinam viam, in finibus novi Latii et Felicis Campaniae, assurgebat munitissima loco et operibus, et priscis in litteris interdum Casca, interdum Heraclea dicebatur, quasi primo vocabulo, Osco sermone, antiquissima celebraretur; altero autem, ab Hercule vel exstructa, vel Hercule digna, vel Herculii robustissimo consecrata. Rudera, reliquiasque murorum, cyclopicum opus, admiratur peregrinus attonus. Sabini, Osci, Volsci, Samnites Campanis quotidiani hostes, quibuscum de imperio uberioris Italiae certabant, olim incoluere, alias post alium; quorum postremi Samnites Cascum oppidum, scilicet vetustissimam urbem, prisco nomine non mutato, retinuerunt in sua potestate, donec Romana res orantibus Campanis accessit, et sibi socios adscivit, ut Samnitica ab iniuria eos liberaret.

Flagrante igitur Samnitico bello, Casco Romani potiti sunt, et illuc, Lucio Papiro Cursore, Caio Iunio Bubulco consulibus, anno ab Urbe condita CCCXLI quatuor veteranorum millium colonia, trigesima, deducta est, quae prima obstaret Samnitibus, et vigilaret siqua molirentur, siqua tentarent irreconciliabiles adversarii, qui nec Romanorum patiebantur aequo animo im-

perium, nec incolumes Campanos esse volebant, utrosque exterminaturi, si potuisserent. Anno Urbis DCLXIII Municipii nomine Cascinensis Colonia decoratur. Apostolorum Princeps Petrus ibi mansisse dicitur, et Episcopos constituisse, quorum successores apparent Caprarius, anno post Chr. CCCLXV, qui Concilio subscrivit a Pontifice S. Hilario Romae coacto, et S. Severus, qui Romae pariter in Concilio fuit anno CCCLXXXVII, Felice III Pontifice iubente.

Alaricus, Gothorum rex, primo Casinum quassavit; Theodosius flammis, ferro penitus vastavit; at, mirabile dictu!, tot inter caedes et funera et ignes, duo idolorum ibi restituta sunt templa, quorum Venus alterum, alterum Apollo haberet. Ibi oracula convaluerent, ritusque turpes, et sacrificia rursus instaurabantur. Qui fuerat oppido tanto locus vix raro habitatore incolebatur; rudera aedium, subtractiones pro caulis, pro mapaliis erant; ibi degentes omni ferme soluti lege vivebant, in tantum subiecti, quia latifundum patricium colebant; paucae, exiguae domus Castrum Casini, seu Castrum Casinense constituebant.

Interea v p. Ch. saeculum excedebat, et quidam adolescens, cui Benedictus magno omni nomen fuit, in eremo Sublacensi totum se caelestibus addixerat. Aestuabat Italia caedibus, incendiis, vastationibus barbarorum. Defessi animi, tristes, incerti pacem quaerebant. Benedictus in Dei nomine pacem praeferebat, hoc tantum si praestitissent, scilicet humanas omnes abiicerent curas, mundana omnia relinquenter; quid enim nisi mortem, rapinas, incendia, servitutem mundus offerebat? Iamque Sublacensis eremus impar adeuntibus erat. Hinc Benedictus, in Sublacensi valle, plura monasteria moliebatur circa Neroniana rura et lacus; labentia illa, neglecta, expilata; solitarii marentes ii, aureae navis, argenteorumque

remorum, purpurei veli, citharoedorumque immemores in lintribus olim suavissima cum Augusto suo, lucente luna, decantantium. In hoc erat dum accessit patricius Tertullus, obtulitque educandos duos filios Maurum et Placidum Patriarchae, insuper « pro redemptione animae sue » latifundium ingens Casinense donavit; donavit praeterea quamplurima, quae a Lacu Funicino et campis Palentinis ad Anxur ferme producta possidebat. Duodecim monasteria Benedictus in Sublacensi erexit, de quibus alias in Commentario hoc, si Deus dederit, dicemus; at duo simul premebant ut inde migraret, viri quidam nequam illis in regionibus, et angor saevissimus ob ea, quae in Casinensi suo latifundio ab idolatri patrari audiebat.

Abit itaque Casinum ad Castrum, nulla que mora interposita, Veneris et Apollinis sacerdotes a delubris profligat, lucum turpissimae Deae sacrum incendit, idola frangit, asceteriumque ibi molitur, ubi initia mysteria recolebantur. Quod Casinum fuerat Castrum, aedificato ibi templo et monasterio, Castrum Sancti Petri ad monasterium vocatum est. Quod fuerat sacrum Apollini et Veneri, templum ingens Ioanni Baptista fuit, turisque prope edita est, in qua et essent conclavia monachorum, et esset tutamen a repentinis incursibus barbarorum.

Locum hunc integrum, locaque plura circum occupat hodie Casinense coenobium, quod vulgo « Abbatia Casinensis » sive « Archicoenobium Montis-Casini » nuncupatur. Hoc ad latus Casini montis est, excelsi, ac nunquam nivium ignari, et quingentos producitur pedes in agrum, totidem in frontem. Ab oppido subiacente, cui a Sancto Germano nomen, si ascenderis, oratoria, sacella, eremos invenies Mauro, Scholasticae, Crucis, Severo, Agathae consecrata. Mox maiorem coenobii portam ingredieris, et post hanc rustica omnia videbis ab ipsa turri, in qua S. Pa-

triarcha moratus est, ad reliqua; namque in memoriam illius religione magna servantur intacta. Ulterius, (commode quamvis ascendas, ascendis tamen), ferream subis portam, et postea plateam, quae coram monasterio est, feliciter attingis. Hic longa porticus ex albo saxo, quod marmor Tiburtinum dicunt, ordine dorico concinnata, deliciosis coronata desuper deambulatoriis, solariis; post hanc tria coramte sunt atria peristyliis ornata circum, spatiantia late, distincta pergulis, porphireticis et numidicis columnarum truncis insignia in medio. Et medium quod est atrium praebet gradus ad regiam scalam, quam simulacra Benedicti et Scholasticae sororis eius custodiunt. Ascendens invenis vestibulum affabre exstructum, cui a statuis nomen. Hic libyco ex lapide pretiosae columnae, hic Urbani V et Clementis XI marmoreae statuae. Inde egressus in solarium pergis, quod ex delicioso prospectu rerum, agrorum, aedificiorum, montium et vallium «Paradisus» nominatur. Numerabone viginti columnas ex numidico marmore? Numerabo simulacula Sanctae Abundantiae, quae Benedictum genuit, aluit, educavit, Tertulli Patritii, Gregorii II, Zachariae, Victoris III, Benedicti Papae XIII, et Benedicti XIV, Euprobi patris Patriarchae, Gisulphi II Beneventani Dicis, Caroli Magni, Henrici II, Lotharii III Augustorum, Ruperti Guiscardi, Caroli III regis? Contemplare aeream portam, Constantinopoli anno MLXVI confectam, in qua argenteis litteris praedia, latifundia, pagi, vici, oppida, quae olim Casinense Monasterium possidebat, enumerantur, et propriis nominibus designantur. At quaenam haec sunt? Quae tot eversionibus superfuere.

Longobardi enim, quibus nulla pestilenter labes italicis rebus fuit, templum a Benedicto erectum et monasterium, Zottone Beneventano duce, anno DLXXXIX straverunt, prouti Sublacensia omnia Be-

neditina una cum libris, codicibus, pretiosisque rebus, Agilulpho duce, destruxerant. Petronax abbas, quae potuerat, et magna quidem poterat, anno DCCXLIV, restituit. Quae utilitas? Saraceni anno DCCXLVI, noctu aggressi, omnia ferro, incendio vastarunt, monachos interfecerunt, aurea, argentea omnia abstulerunt. Ioannes I abbas rursus restituit aedificiis, opibus, circa dimidium x saeculi, Aligernus intra CMLXXXVI a Chr. annum omnia complevit. Sed horribili terraemotu anno MCCCXLIX omnia conciderunt, una cum opidis propioribus. Urbanus V iterum erexit; at abbas Desiderius IV Petronius anno MDCLXIX solo aequavit aedificata, ut alia, quae nunc sunt, magnificentius conderet, quae anno MDCCXXVII absoluta fuere.

G. P.

## WILHELMUS THACKERAY

Suis in aedibus ad *Young Street* conditis, binis pueris, quas ei uxor tristi amenia erupta dereliquerat, Wilhelmus Thackeray, Calcuttae natus an. MDCCCI cum vita, quam diu prius adamaverat, deinde spreverat, in gratiam paulatim reverti coepit. Viduatus paene, commoda tamen et otia vitae non amplius despexit, neque philosophiam, neque bonas artes, neque amicitiam. Harum rerum nullam parvi pondoris habebat, etsi plerumque satyrici salis plenus, atque notis irridere paratus mordaci lingua: animus enim, rudi licet sub specie, mollis admodum atque suavis latebat.

Attamen post tertium supra decimum indefeso labore annum absumptum, inter anglicos litteratos viros nomen eius etiamtum ignorabatur. Prima iuventa cum Bulwer Lytton in certamen descenderat, qui quidem celeber iam diuturnitate temporis operumque, iuveni aemulo longe antever-

tebat. Tunc temporis enim Lytton ipse et Dickens praecipui summique auctores per anglicum orbem celebrabantur; inde magnum aliquid pertentare Thackeray oportebat, ad sese a falsis nominibus, quorum sub larva abditus usque in diariis scriperat, vindicandum.

Meta sane auctoris oculis praelucebat, eaque satis ampla: movebantur eius in mente personae, ac totius veluti hodiernae vitae ad philosophiam conformatae rationes agitabantur. His evenit, ut nocte quodam, quasi flamme inopinato percussus, e lectulo repente surgeret, quem illud, veluti Salomonis, insonaret in auribus assidua voce *Vanity fair* (*Vanitatum nundinae, comœdia*): «*Vanitas vanitatum et omnia vanitas!*».

Fabula quam inde scripsit in omnes exculti orbis linguas redditum est, vitaeque hodiernae praeluxit plurimis veluti summa ratio suavitate, veritate, leni ironia, atque moestitia quadam etiam enarrata. Quin immo tristitia totius operis caput est: «*Omnis homines — singulis paene paginae iterat auctor — soli in vita versantur. Hanc sese solitudinem vincere posse credunt vanis somniis aut amoris, aut laboris, aut gloriae; sed somnia sunt, nosque iam ea tenere putantes vana effugit imago*

*Par levibus ventis volucrique simillima somno.* Omnes enim dementat nimius amor sui, sive bonos, sive malos: sunt qui suas cupiditates, sunt qui utilitatem suam adimplere contendant; at unusquisque tandem de se uno cogitat, nec unquam beatus efficitur: est enim beatitudo species *vana imœvia* cuique, vitaque omnis inutilis *plane visus*; amor atque ambitio ad eamdem deceptionem perducunt».

Vera quidem haec etsi tristia; sed manca quoque et mutila: Thackeray enim satis est vera se animadvertisse ac reddisse calamo, neque ad animos firmandos aut erigendos movetur, ut Georgius Eliot, ut Tol-

stoi saterunt. «*Nimio sui ipsius amore — ille clamat — infelices omnes efficiuntur vanitas vanitatum!*». At non subdit statim: «*Exuamus igitur nimium hoc nostrorum bonorum studium*», nec unquam humanitatem novam evocat, cuius princeps metasit concordi conatu communem beatitudinem assequi: nec fatetur unquam virum, qui proximos prae se ipso diligere coepit, iam amplius non posse desperatione captari.

*Vanity fair*, uti solebant tunc temporis milesiae fabulae, fasciculis singulis, alias post aliud, in lucem editum est. Primos tamen nullus lector animadverte videbatur, iamque rem intercipiendam auctor censebat, quem tria repente exitum penitus immutavere.

*Edimburg Review*, notissimus ille commentarius, fabulae maximas laudes vulgavit eam immortalitati sacram asserens: eodem tempore scriptoris nomen, ob *strenuarum* quendam libellum descriptum facilem etsi ephemeralium brevemque triumphum assequebatur; pauloque post Currier Bell multis litteris mulier *Sane Eyre* suum librum iterum editum Thackeray ipsi dicabat, eum titanum, vatem, aquilam appellans.

Profecto *Vanity fair* maximum semper auctoris monumentum permansit, quod nunquam postea nec ipse quidem aequavit. Fuit enim experientia duce opus digestum, quod sapit motus omnes vitamque civitatis, eamque vanam atque futilem, qua passim honesti ordinis cives vivunt. Adde praeterea ad morum verissimam representationem patriae historiae gesta optime descripta, iis praesertim in capitibus, quae anglicum exercitum ante Waterloo pugnam Bruxellis moram trahentem referunt. Quas immo post evulgatas paginas gloriam scriptor adeptus est, etsi tamen non aequum ferme pecuniae fructum retulerit.

Anno MDCCXLVIII, paucis post diebus a *Vanity fair* libro expleto, Londinum au-

ctor reliquit, atque Spa in urbe novam scribere coepit *Pendennis* titulo fabulam insignem, quae eodem anno exeunte edita est, quamvis infecto adhuc opere, nimio labore exhaustus, vir gravissimo morbo fuisse correptus, quo ad letum paene perductus est.

*Pendennis*, suavis quidem lenisque liber, quo in scribendo fracta prope auctoris valetudo veluti conicitur, *Esmond*, tristissimum eius opus, cito subsequi vidi, in quo saeculum XVIII, scriptori prae reliqua historia carissimum, effingitur.

Nec erat tamen ei, quamvis immatura senectute correpto, quietis locus; sumptuariam enim nimis ducere vitam assueverat, dotemque filiabus constituere cupiebat quam maxime, et aequum vivendi modum amenti uxori. Tunc eum invitarunt ut publicas orationes haberet, quod reapse fecit, dissertationes pulcherrimas de optimis anglicis scriptoribus, qui saec. XVIII ironia usi essent, describens.

Opera quae hic usque memoravimus quaeque ex eius scriptis recensentur maxima, historia secuta est de regibus Angliae quatuor Georgio nomine. Tria sic mens illa uberrima sui laboris omnis volumina absolvit: reliqua quae scripsit decem numero minorem laudem assequuta sunt. Pulchra tamen in iis quoque rendere saepe nemo neget, ut, exempli modo, in *Newcomes* longissima fabula, qua per militis cuiusdam, senis nobilis, generosi, splendidi, personam tamquam novum propriumque *Quijote* litteris reliquit.

Ceterum, orationibus per Angliam, per Scotiam, per Americam passim habitis dives paulatim scriptor noster ita rediit, ut reliquam sua vitae aetatem potuisset in quiete traducere. Ille autem prouti labori assueverat indefesso, operam nunquam intermisit, etsi eius mortem properare maturius amici passim, eosque inter Carlyle ipse, praenunciarent. Iamque ad vitae finem inscius pergens Annae Regiae hi-

storiam describere in animo habebat, quum contra ad moderandum novum commentarium *Cornhill* mercede multa advocatus est. Tunc quidem arcem condendam sibi suisque curavit; at tandem ipse quoque mortem instare persensit, quam habuit quodammodo a Lutetiensi medico prae-nunciatam, et lectoribus suis efficta fabula ipso in commentario praedixit, etsi nemo rem veram facta sub specie latere coniectaverit. A *Cornhill* itaque moderando anno MDCCCLXII recessit, atque *Denis Duval* novam fabulam scribere cooperat, quum eodem anno, in vigilia Dominici natalis, defunctum in lectulo vix secundo post quinquagesimum eius vitae anno invenerunt. Ita vir, qui mortis iam diu atque continenter cogitationem habebat, inopino eius ictu sublatus est, paratus vero ad valericendum vitae illi, quam a prima usque iuventa minimi fecerat, utpote pulcherrimam quidem, at asperam, at labore durissimam, at rigida solitudine ingratam.

A. COSTAGGINI.

## HORAE SUBSECIVAE

### I

#### EPISTOLIUM

Ad EMANUELEM ASSENTIA collegam  
quo mihi nemo iucundior amicum

Te salvere iubeo Ioseph Morabitus: unde vero haec conscribam si quaeris forte, Crotona<sup>1</sup> scito me, radiis ferventibus usque, tenere. Syrius ardet enim per cam̄os perque nitentis aequora vasta salis, tamquam Vulcanus ab imis visceribus terrae cunctos emiserit ignes. Ne quid agam quaeras! Quid agendum cetera? [custos discipulis pavidis acer sum factus, acutis morsibus invidiae, sacris probrisque petitus, ne fur quis lateat perscribens pensa aliena.

<sup>1</sup> Quo me contuleram periculis, quae *maturitatis* vocant, diiudicandis cum aliis creatus.

Interea natos defixa mente remotum istic qui patrem expectant vocitantque loquelis balbis, nonnumquam videor spectare pusillos: tunc desiderium tacite mea pectora tangit... Si quaeris num quid veteris sapientis in urbe illius hac liceat mirari, qui omnia mundi ingenio divo fertur peragrasse patentis,<sup>2</sup> nil superesse tene; puerū tantummodo ludus, inspicere, nomen habet (pictam tibi sole figuram, at nulla arte, habeas); saltem omnes nosse putamus, quae numeros docuit semper semperque docebit ignoratos pueros — sapientia docta! —, tabellam...

Haec celeri calamo conscripsi, Assentia, ut, [alto dum cuncta incendit Phoebus saevissimus axe, eicerem ex oculis somnum languore gravatis.

Non. Iul. MCMXXXVIII.

### II

#### REDITUS AD PATREM<sup>3</sup>

Ex gremio Domini progressi, vespere cuncti in gremium rursus conveniemus idem.

Num quis erit, redditū quem terreat hora propinqua?

Num quis erit, cuius membra pavore tremanter?

Sedibus e patriis patris nos dextera misit in varias partes orbis inire viam.

Non longe peregrinari, sed per breve tempus nos voluit. Num quis sit rediisse timor?

Triste fuit nobis iter illud senteque plenum, nunc at abire licet tempus in omne domum.

Frigore iam nunquam nos extera terra necabit: in Domini num quis sit metus esse sinu?

FR. PALATA.

<sup>2</sup> Hic de Pythagora sermo est, cuius nomine puerū ludus inscribitur (*Liceo Ginnasio Pitagora*).

<sup>3</sup> Versio carminis Bohemici JOSEPHI VÁCLAV SLÁDEK (1845-1912), quod poëta scripsit prope moribundus.

Multa fidem promissa levant: ubi plenius aequo

Laudat venales qui vult extrudere merces.

HORATIUS.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

## COMMUNIAE VITAE

### De indumentis virorum<sup>1</sup>

At quia longe exspectationem vestram praetergradientur, lectores, ea, quae, ut in superiore numero retuli, indeprecabilis ille venditor in me concessit, pueroque suo portanda tradidit, monens ne antea me derelinqueret, quam camelō dignum onus domi meae collocaret, interest ea noscere, quae deferebat.

Ubi domo mea potitus est, sarcinam gestatam humeris super lectulum deiecit, et funiculos, quibus obstringebatur, coepit absolvere. «Synthesim lineam» «taeniolis» rubris caerulisque a collo ad pedes descriptam, «stolatam», «palmatam», meandrisque sexcentis quaquaversus ornata decerpit, et sellae scriptoriae imposuit intuendam.

— Quorsum haec?; et quis de hac velte, vel dominum tuum rogavit? — ego pe-tivi.

At vafer ille: — Neque tu, neque ego, neque dominus meus hanc volueramus; sed cura tui apud nos maxima, rerumque sollicitudo tuarum suasere ferendam. Quum enim in cubiculum redieris, ista indueris, demissis vestibus laneis multo maioris existimandis et habendis, ne illas usu consumes. Viliora iuvat indumenta atterere, quo pretiosiora serventur.

Opportuna erant; probavi, et assensi.

Tum duodecim apposuit «subuculas» candidissimas, gossypinas, «amylo» superfuso pro pectore nitentes, totidemque binos «manuleolos» ex gossypio pariter, et amylo pariter infuso solidos et renidentes, totidemque eiusdem generis «fasciolas», queis collum cingimus, seu mavis appellare «strophia», sive «collaria», seu «subgularia». Quae mihi ostendens et laudans:

— Nonne — ait — haec et bella sunt, et necessaria munditiae?

— Credo — dixi — sed non erat his locus; non enim his egeo.

— Egebis, bono tuo — ille respondebat — egebis et hisce et aliis, vives quippe diu et ad maiora et felicia quotidie proverberis. Bene sint haec! Quinimo de te cogitavi, si quando rediens domum sudore perfusus — est namque aestas ad ianuas — amyrum et amylata exuere desideraveris; hinc esse tibi. — Atque haec inter e promptuario illo «indusia» et «supparos lineos» educebat.

— At — prosequabatur — praevidimus omnia, et singulis consuluimus: ecce «braccas gossypinas» quibus hyeme, «linteas», quibus aestate felix utaris. — Duodecim et ipsae numeratae sunt singulae. Cumulum conficiebant!

Rapidis manibus aliquid inter allata quaerebat; tum quasi triumphans repertis:

— Proh! timebam et mihi et tibi, sed magis tibi, ne oblitus essem, et super «mensam mercatoriam» haec reliquissimum idonea tibi, haec necessaria, sine quibus vivere nequires!...

Ista cantabat «diabathras» lineas ostendens, tela quidem confectas, at multicolori lana pictas acu, frondes flores simulantes artificio oculis gratissimo. Quid facerem? Placebant; oculis morem gessi, et annui; fortasse et... laudavi! Post haec, singula suo more celebrans, et mihi blandiens more suo canalicola ille, «ansulata ex gossypio, ex lino, ex lana tibialia» exserere; duodecim paria de singulis! duo et septuaginta rerum capita si enumeraveris!... Excandui, atque indignans mala verba parabam; sed ille impudentissimus multa me parantem dicere praevertens:

— Ne irascaris — aiebat — nam nullius rei oblii sumus. Viden? Ecce et «soleas urbanas», et «calceos» et «mullos»; ad opportunitatem sunt singula. Quid si venatum interdum adire volueris? «Semi-

plotia» sunt haec ad rem, si in pratis, in novalibus, in aperto versari mens fuerit. Quod si placuerint magis obsita aquis palustria, vel montana dumetis obsita perscrutari, ecce, ecce illud calceamentorum genus, quod laudatum ferunt a Caesare praemium addicente homini, qui legionariis caligarum praestitit speciem, qua non modo a pedibus et nives et aquae, sed a tibiis et cruribus arcerentur. «Oreas» vitulina pelle confecit, quae ad genua usque, «tibiali» addito atque adsuto, crescerent. Qui igitur mulleis quotidie, spe praeiorum oblatis, *isti non valent!* indeprecabilis respondebat; ubi ii allati sunt, laetus exclamavit: Bene esto! *Isti valent!* Unde nomen apud vulgus, et legionarios factum est, quo *stivales* eiusmodi ocreas appellarunt, et in vulgare italicum contulerunt.

Risum continere non potui, praesertim gravitate insolita docentis, qui tam repente e «paenulario et gaussapico, et sagario puero» historiae ad magisterium erectus fas nefasque audacissime personabat. Tum ego:

— Et quibusnam ex libris tam peregrinam hausisti doctrinam, in quam ego nunquam?

— Non ex libris — ille inquit — sed ex narrationibus abavorum, quae ad nostra usque tempora plura, quae cum libris periere prisorum, transmiserunt, posteritatis suae tradiderunt. — Fateborne? Fatae. Iulius Caesar, insignis vir at iniquus, prout Cicero et laudat et arguit, me cum puero illo nequam conciliaverat. Aureus enim ille auctor bellissimae latinitatis deliciosus est mihi dum scribit, abominatus dum facit in patriam, quae genuit eum atque aluit ut amplificaretur, aut saltem ut relinquoretur in pace, non ut horrendo paricidio opprimeretur. Plurima autem vera, aut proxima veris in plebe romana vagantur, quae maiorum gloriam tradunt, magna fide posteris ac nepotibus ab atavis

patribusque narrata. Sed iam illuc revertor unde discessi.

Sexenta hauriebat iste puer historicus interim e sarcina, et, quoniam me delectari narrationibus suis callidus perspexerat, narrationes mercibus, merces narrationibus inserebat. Mihi ante oculos versabantur pompa longa et agmine perpetuo tot illi artifices, qui ad me vestiendum Plautina Aulularia e sepulcro excitaverat:

*Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,  
Caupones patagiarii, indusiarii,  
Flammarii, violarii, carinarii,  
Aut manuleari, aut maurobatharii,  
Propolae linteones, calceolarii,  
Sedentarii sutores, diabatharii,  
Solearii adstant, adstant melocinarii,  
Petunt fullones, sarcinatores petunt.  
Strophiarii petunt, petunt semisonarii.*

Verum dum ille proponit allata, ego allatis nomina componebam modo ab ipso re, modo latino fonte, uti iubet Horatius, *parce detorta*. Quam bene enim diceretur «iuxtacordium» illa virilis indumenti pars, quam Galli *gilet*, Itali nos *giustacuore*, et *corpetto* appellamus!... Quam recte appellaretur «semisagus», quod nos *giacca nuncupamus*! Habet enim sagi morem potius quam tunicae, at brevius est sago, quem vix renes attingat a tergo, aut ad summum sub stomacho vix inguina cingat. Quis non cito noverit quid indicemus, si «horologii catellam», si «pectoralem aciculam» proferamus? Ecce, «laneos thoraces» hic depromit; quis ignoret hoc nomine designari laneam illam interulam, carnibus a collo ad umbilicum usque haerentem, qua salutis causa plerique iugiter humeros pectusque tuentur? Quid si «superhabitum» vocemus dimidiatam tunicam pro pectorale apertam penitus, nigro plerumque panno, eodemque laneo semper, ad poplites et ad genua tantummodo, non longius, productam?

Haec et plura agitabam, deponente illo merces. At expertus sum in proverbio men-

dacium, in proverbio, inquam, cui sententia est «dulce in fundo!». In fundo rerum omnium illarum chartula erat, in qua pretium singularum sale et aceto et pipere mordacissimis conditum edicebatur. Mille ferme libellas ultimae notae lugubri anacephaleosi indicabant, quarum ego vix quartam partem solvere poteram.

— Da quod habes — inquit puer; — pro reliquis cras cum domino meo colloqueris.

Sic discessit ipse; ego, quae minimi venditurus sum, contemplor moerens...

P. d. V.

## MEDICAE NOTAE

### De plethora, cacockymia et turbata mistione sanguinis

*Plethora* dicit nimiam sanguinis, bene ceteroquin dispositi, abundantiam; est autem multorum morborum parens, dum orificium vasis sanguiferi ob nimiam sanguinis molem nimium dilatatur, unde haemorrhagiae originem trahunt. Vel aliquid vaculum ob nimiam distensionem rumpitur (id quod in facie quandoque observatur) et sub forma sanguinis egreditur; hoc si in pulmonibus contingat, oritur haemoptisis; sin vero fiat in cerebro vel cerebello et sanguis extravasatus principium nervorum comprimat, oritur inde apoplexia sanguinea. Quod si sanguine in parte membranosa extravasato partes fluidiores dissipentur, crassiores vero et rigidiores poros cedere nescios et prae aliis magis constantes in tantum obstruant, ut soli maternae mundi subtilissimae sive primi elementi transitus concedatur, haecque et velocius nunc et aliter determinata obstruetas illas partes et vicinum sanguinem exagitet, hic in mixtione turbatur, illae vero rumpuntur vel distenduntur, unde dolor

pungitivus et inflammatoriae febres producuntur, ut in phrenitide, angina et pleuritide videre est.

Facile tamen crediderim plethoram vix persistere posse, ut non tandem in consortium trahat ipsam cacochemiam, sive intemperiem sanguinis. Est autem cacochemia vitiosa sanguinis qualitas, sive vitium sanguinis in qualitate, dum ob sensibile magis unius vel alterius humoris praedominium sanguis viscidus, acidus, salsus, biliosus, pituitosus aut foeculentus vel melancholicus redditur.

Ipsi quoque humores circulantes reliquie succi a sanguine dependentes pro varietate salium aliorumque degenerum corpusculorum varias hac in cacochemia sortiuntur appellationes, ut ipsa lympha nunc salsa, nunc viscida, nunc tenuis; bilis vero nunc magis viscida, nunc prasina vel aeruginosa, nunc atra vocetur.

Tandem et mistionis sanguinis turbatio, mater omnium febrium, hic sub censum venit causarum morbificarum, quippe febres sunt, quarum ratio formalis et essentia unice in turbata sanguinis mistione consistit. Numquid cacochemia aliud quid dicit quam turbata mistio? Haec sane nunquam quidem est sive cacochemia; illa autem saepius est sine febri. Sic liquor quidam fieri potest impurus; verum quum secundum minimas particulas non sit turbatus, facile per subsidentiam, decantationem vel filtrationem a sordibus liberari potest. Si mistio eius secundum minimas particulas semel fuerit turbata, omnes antedictae depurationes frustra instituuntur; id quod fit in liquore fulmine tacto, aut sub syrio acescente, qui nulla etiam arte in pristinum restitui potest. Haec si sanguini applicare velimus, facile e variis turbationis gradibus varias febrium species eliciemus, ita quidem, ut extremus gradus constituat pestem; primus vero ephemoram.

WALDSCHMIDT.

## ANNALES

### Germaniam inter atque Poloniam discrimen de Danzica civitate.

Discrimen inter Germaniam et Polonię de Danzica civitate, de quo in superiore fasciculo mentionem fecimus, insolatum manet, hinc Germania reposcente ut quo citius atque funditus quaestio eo sensu definiatur, ut Germanica olim civitas Germaniae restituatur; hinc Polonia resistente atque profitente, si ex Germania vis aliqua interventura sit, sese eam tamquam aggressionis actum iudicaturam in territoria, ubi iura sua conculcata fuerint, non solum in quantum territoriorum ipsorum Polonia gentium vicarius constituta fuerit, sed etiam quod proprias civitatis suae rationes habeat tutandas. Quod si aggressio huiusmodi futura sit, iusta causa sibi erit et suam et foederatarum secum nationum defensionem interponendi, Angliae praesertim et Galliae.

### Pactio inter Galliam et Turcarum rem-publicam.

Gallia interim cum Turcarum republica pactionem iniit, per quam — fertur — nova inter duos populos amicitia constituta est, mutua fiducia fulta atque communis labore ad pacem in Balcanica interneque maris orientalibus regionibus conservandam. Cuius amicitiae pignus fuit provinciae Alexandriae minoris, cuius ex gentium mandato Galliae administratio concreta fuerat, Turcis datio; quod quidem praepollentis potentiae factum pluribus visum est; Germaniae autem nova civitatis suae dolosa circumventio.

### In Sinis

Tien-Tsin, obsidio maritimaeque custodiae a Iaponiis positae sunt in liberis exterrarum gentium vicis, quas ex immunitatis iure apud se Sinenses praedones rece-

pisse accusarunt. Res Anglorum praesertim reclamationes excivit; dum scribimus, proxima hinc inde colloquia nunciantur ad novum hoc discrimen componendum.

Interim bellum Sinenses inter ac Iaponios perdurat, quod maxime his diebus per aeronautes effectum est; et hac etiam vice in Iaponiorum favorem cessit.

### Ex Hispania

Legionarios Italorum milites ex Hispania in patriam redeuntes, tria comitata sunt Hispanorum militum prope millia, quibus Serrano Suñer, internorum Hispaniae negotiorum administer, praeverat. Hi Summum quoque Pontificem Pius XII venerabundae adiverunt. Res memorabilis quidem fuit, quippe quae nunquam antea facta fuerat. Minister ipse in Hispaniam redux orationem populo habuit, in qua professus est necesse hodie esse, quum spiritus confirmata praestantia est, iniquitates tollere per quas mala tanta populus passus est, et mente una animoque uno viam inire, quae ad bonum universorum fauste feliciterque conducat.

Omen Deus perficiat!

POPLICOLA.

*Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra Fortunam debet quisque manere suam.*

OVIDIUS.

*Vive sine invidia, mollesque inglorius annos Exige, amicitias et tibi iunge pares.*

OVIDIUS.

*Incipe; dimidium facti est coepisse: supersit Dimidium: rursus hoc incipe, et efficies.*

AUSONIUS.

*Semper in fide quid senseris, non quid dixeris, cogitandum est.*

CICERO.

## VARIA

Non fieri prudenter ab iis qui foedus ineunt cum principibus, quorum potentia minor sit, quam esse putetur.<sup>1</sup>

Errarunt Sidicini vehementer, quod aduersus Samnites Campanorum auxilium implorassent, qui ob domesticum luxum imbelles essent et ad illos iuvandos inepti. Vehementior Campanorum error fuit, qui imbelles se esse non intelligerent, et putarent se Sidicinos defendere posse. Utrumque errorem Livius his verbis exprimit: « Campani magis nomen in auxilium Sidiciorum, quam vires ad praesidiū attulerunt ». Nos vero hoc loco foederum ineundorum rationem observare debemus; nam quae amicitiae contrahuntur feriunturque foedera cum iis principibus, qui aut ob locorum distantiam, aut exiguae vires, aut alias huiusmodi causas succurrere nequeunt, plus habent existimationis et nominis, quam praesidii.

Idque reipsa comperti sunt etiam Florentini nostri, anno Salutis 1489, quum eos Pontifex et Rex Neapolitanus invaderent. Nam etsi essent tunc Galliae Regi confederati, tamen ex ea amicitia plus nominis quam virium praesidiū habuerunt. Idem contingere queat aliis quoque Italiae principibus, si vel cum Maximiliano Imperatore, vel aliis monarchis procul hinc distantibus amicitias contraxerint; nam omnes haec, necessitate urgente, perinde ut Campani Sidicinis, plus nominis quam virium afferre solent. Quemadmodum igitur errasse novimus Campanos, quod quum ne seipso quidem defendere possent, non dubitabant tamen Sidicinorum tutelam defensionemque suscipere, ita etiam eos omnes errare existimandum est, qui Campanorum exemplum imitentur.

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*